

Annexe

Autor(en): **[s.n.]**

Objekttyp: **Appendix**

Zeitschrift: **Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte = Revue d'histoire ecclésiastique suisse**

Band (Jahr): **86 (1992)**

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

ANNEXE

1

1424, mars 18

Rome, apud Sanctum Petrum

Ulric de Torrenté, frère Prêcheur du couvent de Lausanne et inquisiteur délégué par le provincial de France dans les diocèses de Besançon, Genève, Lausanne, Sion, Toul, Metz et Verdun, ayant exercé son office contre Nicolas Serrurier, supplie le pape Martin V de lui confirmer son mandat. Il demande de ne dépendre dorénavant que du Siège apostolique, de pouvoir prêcher et célébrer la messe en temps d'interdit et de disposer de l'assistance d'un frère de son ordre.

ASV, Reg. Sup. 176, fol. 273v/274r; cf. Repertorium Germanicum, IV/3, bearb. von Karl August Fink, Berlin 1958, col. 3046.

Beatissime pater, cum dudum devotus vester orator Odricus de Torrente, frater domus ordinis Predicatorum Lausanensis, ad officium inquisitionis heretice pravitate in Bisuntinensi, Gebennensi, Lausanensi, Sedunensi, Tullensi, Metensi et Verdunensi civitatibus et diocesibus, tunc per amotionem fratris Iohannis Grutelli per provincialem Francie dicti ordinis habentem ad hoc a sede apostolica potestatem factam, vacans, per eundem provincialem huiusmodi potestatis vigore inquisitor deputatus, huiusmodi officium aliquamdiu fideliter et diligenter exercuit pacifice et quiete contra quendam fratrem Nicolaum Serruarii de heresi non modicum infamatum, et alias viriliter procedendo; et quia dictus provincialis habet a sede predicta potestatem revocandi, destituendi dictos inquisitores et alios deputandi, ut ergo dictus O(dricus) liberius officium suum possit exercere, supplicat S(anctitati) humiliter dictus O(dricus), quatenus deputationem huiusmodi et omnia inde secuta rata habentes et grata ea dignemini ex certa scientia confirmare; et nichilominus sibi concessit^a, quod ab huiusmodi officio per alium quam per Romanum pontificem^b non sine causa legitima cognita nequeat amoveri quodque in quibuscumque civitatibus, diocesibus sive locis, in quibus huiusmodi officium iuxta consuetudinem dicti ordinis habet exercere, tempore generalis interdicti etiam ex quacumque causa verbum Dei proponere et predicare necnon missas et alia divina officia, interdictis et excommunicatis exclusis, celebrare et celebrari facere necnon secum unum fratrem dicti ordinis ad hoc voluntarium, quotiens sibi placuerit, assumere et illum pro sue voluntatis libito mutare et loco illius alium recipere ac ipsi et dicto fratri – superioris dicti ordinis aut domus, unde frater ille fuerit, seu alterius

cuiuscumque super hoc licentia minime requisita – licentiam largiri, concedere et indulgere dignemini cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat quod non possit amoveri sine causa O(dricus).

Datum Rome apud Sanctum Petrum quintodecimo kalendas aprilis anno septimo.

a) ajouté marge gauche sans signe de renvoi b) suivi de et per allium (sic) biffé avec remarque marge droite ita cassatum erat in originali articulo.

2

1428, septembre 10

Autan / Ottans (VS), prope et citra pontem vocatum Dou Tryen

Guillaume Eboris, lieutenant de Louis de Monthey juge de l'abbaye de Saint-Maurice, seigneur de Salvan, exécute la sentence rendue par Ulric de Torrenté, inquisiteur dans les diocèses de Sion, Lausanne et Genève, contre Stéphane Albi de Salvan; accusé d'hérésie et de rebellion contre l'Eglise, celui-ci est mort au cours de sa remise au bras séculier.

AASM, tir. 15, pag. 2, no. 8 (original sur parchemin).

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quatercentesimo vicesimo octavo, die decima mensis septembris assignata de mandato nostri Guillermi Eboris, locumtenentis egregii viri domini Ludovici de Monteolo, legum doctoris, iudicis in terra iurisdictionis venerabilis monasterii Sancti Mauricii Agaunensis pro reverendo in Christo patre et domino domino Guillelmo Villieni Dei et apostolice sedis gratia abbate, venerabilibusque religiosis viris dominis canonicis conventus dicti monasterii, dominis temporalibus iurisdictionis tam spiritualis quam secularis parrochie Salvani, per discretum virum Mermetum de Stabulo, mistrallem dicte parrochie pro dictis dominis abbate et conventu que (*sic*) dicti monasterii, Stephano Albi de Salvano ad personaliter comparendum hodie coram nobis locumtenente predicto apud Octonelli procedique videndum et ius dici sententialiterque diffiniri per nos audiendum in causa quadam remissionis et traditionis curie seculari dicti monasterii in dicta parrochia Salvani de se dicto Stephano Albi tamquam heretico et de heresi sententialiter hodie condempnato per venerabilem virum fratrem Hudricum de Torrente ordinis fratrum Predicatorum, heretice pravitatis inquisitorem in civitatibus diocesibusque Sedunensi, Lausannensi et Gebennensi auctoritate apostolica specialiter deputatum, publice factarum, prout idem mistralis predictus huiusmodi assignationem nobis retulit hodie se debite fecisse;

comparenteque propterea coram nobis locumtenente predicto dicto Mermeto Mistrali prememorato nomine dicte curie secularis dicte parrochie Salvani pro dicto monasterio et exhibente cadaver extinctum iacens super quodam curru, mortuum in itinere, quo sic ducebatur ad ipsam assignationem suprascriptam tenendam post dictam latam sententiam ipsius inquisitoris predicti usque apud dictum locum Octonelli dicte parrochie Salvani pariter et iurisdictionis temporalis eiusdem dicti monasterii, demumque petente et instanter requirente, nec (*sic*) obstante dicti Stephani morte secundum formam eiusdem assignationis hodiernae predictae procedi iusque per nos dici et sententialiter in huiusmodi causa diffiniri et ordinari contra dictum ipsius Stephani mortui cadaver extinctum (*sic*) et quid de eodem fuerit fiendum.

Nos locumtenens antedictus attentis premissis visaque primitus et per nos perlecta diligenterque ruminata sententia, qua dictus inquisitor hac die presenti suprascripta dictum Stephanum tunc vivum in forma iudicii perniciose morboseque labis heretice pravitatis in nostri dicteque curie secularis presentia publice lata tamquam fidei catholice et ecclesie Dei sancte rebellem, inimicum et inobedientem, prorsus de heresi quamvis convictum hereticum, tamen animo suo maligno nimium indurato et penitus pertinacem publice condempnavit; attentisque dictis remissione et traditione per eundem inquisitorem de dicto Stephano vivente tunc tamquam heretico et de heresi condempnato ut supra, subsequenter incontinenti post huiusmodi sui condempnationem dicte curie seculari publice factis, considerantes quod post huiusmodi condempnationem prius factam per curiam ecclesiasticam remissionemque et traditionem predictas ut supra subsequitas (*sic*) nil aliud amplius ad agendum de iure superesse vel quomodolibet restare in casu cause remissionis et traditionis huiusmodi predictarum, nisi quod per ipsam curiam secularem penis legalibus secundum sanctiones legitimas et constitutiones imperiales a dominis retro principibus super hoc editas et divinitus promulgatas subdatur et eisdem puniatur omnis hereticus; quodque quamvis ecclesia ad instar sui capitis dicti domini nostri Iesu Christi, qui pro suis prosequutoribus (*sic*) patrem exoravit, debeat pro huiusmodi curie vel foro seculari traditis efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum et membrorum mutilationem ipsius curie secularis moderetur ipsa sententia, non tamen debent huiusmodi heretici – quocunque nomine censeantur – perpetua dampnati infamia diffidatique et ab omni imperio dampnati (*sic*) relinqui quomodolibet impuniti, sed potius per temporalis gladii potestatem habentes, ut puta potestates et dominos temporales universos, tamquam palmites non solum infructuosi, sed etiam pestiferi et nocivi, succidi et in ignem, ut ardeant, mitti, velut ad comburendum fasciculi colligati, ut et facinorose sue perversitatis vestigia flammis combusta pereant tamquam neque cogitantes timorem Domini neque interminatas eis penas, considerantes dyaboli implent opus, cum et nec pena spiritualis eis forte per ecclesiam misericorditer imposita de iure civili penam tollat temporalem, quominus omnis hereticus, cuiuscunque sexus vel conditionis existat, etiam elementis ex ipso heresis sue crimine faciens iniuriam omni iure christianitatis privetur ac omnem privilegium legum amittat, etiam ultimo supplicio dandus omnino; deque quanto

gravius, horribilius et detestabilius pre ceteris criminosis delinquant heretici, non tam tantum temporalem, sed potius divinam ipsam magestatem (*sic*) offendentes scelleratissime tam contra divinas quam humanas leges tantum facinus et crimen nephas per eos committendum attemptantes, tanto graviore pena de iure transgressoribus huiusmodi imponenda sunt plectendi, etiam eis post confessionem suam vel eorum convictionem velociter infligenda, et in tantum, ut unius eorum pena multorum cedat in exemplum aliorum, quodque etiam postremo specialiter in crimine heresis non solum in vita sua procedi possit contra hereticos, sed etiam post mortem, ut et hereticus quis accusari possit etiam post ipsam eius mortem usque infra quinquennium, ut dampnetur memoria eius ex causis premissis, nos et animum nostrum ad hec iuste moventibus, pro tribunali more maiorum sedentes, Deum et sacras scripturas oculis prehabentes, nichil de contingentibus obmittentes, sed servatis solempnitatibus in talibus opportunis, et ut nostrum de vultu Dei iudicium prodeat, Dei nomine invocato dicentes «In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti amen», ad hanc nostram diffinitivam sententiam procedimus in hunc modum qui sequitur:

Quia ex predictis sententia condempnatoria in ipsum Stephanum predictum, dum vixit in humanis, lata remissioneque^a et traditione deinde de eodem ut de heretico convicto et pertinaci subsequitis (*sic*) et factis ut supra, reperimus hereticum fuisse et de heresi condempnatum, remissum et traditum curie seculari predictae propter diversa hereseos crimina sua nephandissima per eum perpetrata, non obstantibus quomodolibet protestatione vel requisitione per ipsum inquisitorem in ipsis eisdem suis remissione et traditione prememoratis qualitercunque factis, nec etiam ipsa morte sua dicti Stephani ut supra attingente in via paulo post ipsas pretactas eius condempnationem, remissionem et traditionem, pronuntiamus, declaramus et ordinamus in hiis scriptis diffinitive dictum ipsius Stephani Albi predicti cadaver extinctum et mortuum flammis et igni subdendum corporaliter et ipsis concremandum et comburendum etiam usque in cineres inclusive reddendum eiusdemque cadaveris sui combusti cineres dispergendos et in aquam et per aquam a loco sue combustionis huiusmodi abluendos et totaliter adnichilandos sic et in tantum, quod amodo pareat omnino nomine eius et ex nunc sui memoria non sit amplius nec habeatur, sed potius sic totaliter de terra deleatur; declarantes etiam insuper hac eadem nostra sententia omnia universa et singula bona sua dicti Stephani de iure confiscata per ipsum fiscum ex nunc inantea omnimode occupanda; committentes et expresse mandantes per presentes dilecto Mermeto de Stabulo, mistrali predicto parrochie predictae^b Salvani, ceterisque officariis quibuscunque dicte parrochie pro dicto monasterio seu eorum locatenentibus dicte iurisdictionis temporalis, quatenus incontinenti per se vel alium «seu» alios pro eis hanc nostram sententiam, quamcitus commode fieri possit, debite exequantur et exequi plenarie secundum eius formam et tenorem faciant cum effectu.

Data, lata et lecta fuit hec nostra sententia suprascripta apud Octonellum predictum prope et citra pontem vocatum Dou Tryen inferius ex parte Sancti Mauricii Agaunensis die et anno premissis quibus supra, presentibus nobi-

libus Iohanne de Chastonay, Francisco Sostionis, Henrico de Porta Bacia et Henrico eius cognato, Perrodo de Furno, Petro Molleyter de Sancto Mauricio predicto et pluribus aliis fidedignis testibus ad hec vocatis et rogatis.

Idem locumtenens predictus: Eborus.

P(erro)dus Domengii.

a) *lecture incertaine* b) *suivi de de exponctué.*

3

1438, juillet 23

Dommartin (VD), près du château

Ulric de Torrenté, inquisiteur dans les diocèses de Besançon, Genève, Lausanne et Sion, et Philibert de Ruppe, chanoine de Lausanne et délégué du chapitre cathédral de Lausanne, condamnent pour hérésie lors d'une assemblée publique Pierre de la Prelaz alias Mugnerii, habitant Naz dans la châtelanie de Dommartin et homme taillable du chapitre de Lausanne. Soumis à la torture, il avoue avoir prêté hommage et fidélité au diable. Il est condamné à mort et remis au bras séculier.

BCUL, ms. IS 5038 (original sur parchemin, seing manuel du notaire Hugues de Beca, prêtre originaire du diocèse de Maurienne et notaire impérial).

In nomine Domini amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit manifestum, quod anno a nativitate Domini millesimo quatercentesimo trigesimo octavo, die vero vicesima tertia mensis iullii hora tertiarum vel circa, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Eugenii divina providentia pape quarti anno octavo, iuxta seu prope castrum loci Dompni Martini Lausannensis diocesis in mei notarii publici et testium infrascriptorum presentia, cum quidem Petrus de la Prelaz alias Mugnerii, habitator loci de Naz parrochie sive chastellanie dicti loci Dompni Martini, homo tailliabilis – ut fertur – venerabilium et circumsectorum virorum dominorum prepositi et capituli insignis ecclesie cathedralis Lausannensis, voce et fama publicis laborantibus ac aliis indiciis supersistentibus (*sic*) tanquam de dampnato heresis crimine diffamatus, delatus et acculpatus per nobilem virum Anthonium de Servion, dicti loci Dompni Martini pro prefatis dominis preposito et capitulo Lausannensi castellanum, captus et detentus atque in castro ipsius loci Dompni Martini incarceratus fuisset reverendusque pater dominus Uldricus de Torrente conventus Beate Marie Magdalenes (*sic*) ordinis fratrum Predicatorum Lausannensis, in

Bisuntinensi, Gebennensi, Lausannensi et Sedunensi ac nonnullis aliis diocesis et provinciis inquisitor heretice pravitatis auctoritate apostolica specialiter deputatus, necnon venerabilis et circumspectus vir dominus Philibertus de Ruppe, in legibus licenciatus, canonicus Lausannensis, iudex et commissarius etiam in hac parte a prefatis dominis preposito et capitulo Lausannensibus specialiter et expresse deputatus, instante super hoc et requirente provido domino Petro Raveneti, presbitero et capellano dicte ecclesie, procuratore fidei in hac parte ab ipsis dominis preposito et capitulo atque inquisitore specialiter deputato, supradictum Petrum de la Prelaz delatum pro prima, secunda et tertia atque quarta et pluribus ex habundanti vicibus, terminis etiam ac dilationibus dierum et temporum intervallis convenientibus congruisque debitis intervenientibus, prout et quemadmodum in talibus de iure fiendum est et solitum, caritative exortati fuissent et requisivissent et etiam auctoritate ecclesie canonice et competenter monuissent, ut ipse Petrus delatus spontanea voluntate ad gremium et communionem sancte matris ecclesie, que neminem penitentem vult perdere, sed gremium unicuique ad eam reddenti apperit reverti vellet atque regredi; cumque ipse Petrus delatus requisitiones et monitiones huiusmodi caritativas et canonicas tanquam sue salutis immemor neglexisset nec ad gremium et communionem sancte matris ecclesie regredi et reverti curasset, quinymmo omnia per eum gesta et perpetrata expresse semper negasset deindeque voce et fama supradictis laborantibus et etiam indiciis atque processibus aliorum dicti Petri complicum et de predicto dampnato heresis crimine convictorum testiumque fidedignorum depositionibus desuper habitis, consideratis et decretis, instante semper procuratore fidei supradicto, prefatus Petrus ad torturam et inquisitionem corporis super premissis pro veritate ab eo habenda condampnatus fuisset ipseque non tamen graviter torturatus premissa iterum et pluries tanquam impenitens negasset et demum ad cor reditus diversis diebus et horis ac longevis temporis intervallis extra torturam et absque violentia quacunquē Deum et sanctam Trinitatem negasse homagiumque dyabolo humane nature inimico personaliter fecisse et in eius consortio unacum pluribus ipsius Petri delati complicibus commorasse carnesque quorundam puerorum oppressorum eidem dyabolo obtulisse et oblatas commedissee, grandines et tempestates arte dyabolica fecisse et quamplura alia crimina atque peccata perhorrenda, auditu terribilia atque nephandissima perpetrasse ac in eadem dampnabili secta diutius remansisse et perseverasse confessus fuisset atque recognovisset, prout ista et quamplura alia in processu per prefatos dominos inquisitorem et Philibertum commissarium et iudicem contra ipsum Petrum delatum agitato et confecto latius continentur.

Tandem prefatus Petrus delatus de supradicto castro Dompni Martini extractus et ad quendam locum publicum ibidem prope vulgariter dictum Ou Publoz, ubi tunc congregata erat maxima populi multitudo, in presentia dominorum inquisitoris et commissarii predictorum per servientes et alios officarios dictorum dominorum prepositi et capituli adductus fuit et ibidem ipso Petro delato discoperto capite et in loco eminenti seu alto ante conspectum prefati reverendi patris domini inquisitoris sedente, ipse dominus

inquisitor verbum Dei predicto populo ibidem astanti eleganter exposuit atque predicavit, processum etiam predicti Petri delati, prout ipsi domino inquisitori visum fuit expediri, narrando et publicando. Quem processum ipse Petrus delatus in omnibus et per omnia coram supradicti populi multitudine iterum et de novo confirmavit attestatusque et confessus fuit atque recognovit. Quibus siquidem sic, ut prefertur, peractis prelibati reverendus pater dominus inquisitor et dominus Philibertus iudex et commissarius ibidem pro tribunali sedentes, Deum et divinum iudicium^a pre oculis habentes premissaque per prefatum Petrum delatum perpetrata et ipsius impenitentiam considerantes et attendentes sententiam diffinitivam contra et adversus ipsum Petrum delatum, quam ipse dictus dominus Philibertus iudex et commissarius prefatus de voluntate et consensu prefati reverendi patris domini inquisitoris palam et publice ac alta et intelligibili voce legit atque publicavit, in scriptis dederunt, tulerunt et promulgaverunt tenorem qui sequitur continentem:

Quia nos frater Uldricus de Torrente conventus Beate Marie Magdalenes (*sic*) Lausannensis ordinis fratrum Predicatorum, heretice pravitatis in Lausannensi, Bisuntinensi, Gebennensi, Sedunensi et nonnullis aliis civitatibus et diocesibus inquisitor et Philibertus de Ruppe, in legibus licenciatus, canonicus Lausannensis iudexque et commissarius ad hanc causam a venerabilibus viris domino preposito et capitulo ecclesie Lausannensis, dominis pleno iure loci et castellanie Dompni Martini predictae Lausannensis diocesis, specialiter deputati, per inquisitionem solertem in et super facto dampnate heresis contra et adversus te Petrum de Prelaz alias Mugnerii, etatis quadraginta annorum vel circa, habitatorem de Naz parrochie sive castellanie predicti loci Dompni Martini, per nonnullos tuos complices hereticos convictos et dampnatos ac iuxta eorum demerita pugnitos (*sic*) de huiusmodi heretica pravitate accusatum ac pluribus aliis enormibus atque nephandissimis criminibus et delictis, fama etiam publica et insinuatione famosa contra te laborantibus, invenimus, comperimus et nobis tam ex ipso processu quam etiam per legitimam confessionem tuam coram nobis iudicialiter factam quam alias clarissime constat, te Petrum predictum multa nephandissima, execrabilia, detestabilia et auditu terribilissima commisisse in facto predictae dampnate heresis contra sacrosanctam fidem catholicam et sanctam matrem ecclesiam, videlicet Deum sanctamque Trinitatem et totam curiam celestem atque partem tuam paradisi abnegando, homagium et fidelitatem dyabolo inimico humane nature faciendo et prestando carnesque puerorum in cunabilis existentium oppressorum dyabolo offerendo et oblatas commendando, grandines et tempestates arte dyabolica conficiendo multaque alia detestabilia committendo, que in tuo processu latius continentur et que ore proprio multiplicatis vicibus confessus fuisti et recognovisti, licet non a principio nec sponte nec incontinenti post monitiones tibi canonice et competenter factas, sed diu post et vi interrogationum tibi factarum, periurium etiam multis vicibus committendo eademque crimina tua celando. Propterea nos inquisitor et Philibertus commissarius prefati attentis et diligenter consideratis culpa tua ac criminibus et sceleribus tuis nephandissimis predictis, habito et participato consilio cum libris necnon pluribus et diversis

notabilibus ac iurisperitis ecclesiasticis et secularibus viris, ad hanc nostram sententiam diffinitivam procedimus et eam in hiis scriptis ferimus et promulgamus in hec verba:

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Christi nomine invocato, solum Deum et eterne vindicte iudicium pre oculis habentes, per hanc nostram sententiam diffinitivam, quam ferimus in hiis scriptis, de peritorum consilio et assensu dicimus, pronuntiamus et declaramus te Petrum de la Prelaz alias Mugnerii fore et esse hereticum et velut hereticum obstinatum et impenitentem condemnamus et te tanquam talem et membrum putridum brachio secularis potestatis relinquendum fore declaramus et relinquimus, rogantes tamen et exortantes ipsius secularis potestatis officarios affectione maiore qua possumus, prout canonice sanctiones persuadunt, quod te citra mortem et membrorum mutilationem pertractent et suam moderent contra te sententiam; declarantes ulterius eadem sententia diffinitiva omnia et singula bona tua mobilia et immobilia, que habes et habuisti a tempore predictorum criminum in huiusmodi dampnata heresi – ut prefertur – commissorum, fuisse et esse confiscata atque in tres partes equales dividenda, duas videlicet fisco et reliquam tertiam officariis inquisitionis ad onera ipsius officii supportanda applicandas.

Qua siquidem sententia per prefatum dominum Philibertum iudicem et commissarium lecta – ut premittitur – et publicata, ipsi domini inquisitor et Philibertus commissarius petierunt a me notario publico infrascripto sibi fieri unum vel plura publicum seu publica instrumentum et instrumenta, tot quot fuerint necessaria et petita. Acta fuerunt hec anno, indictione, mense, die, hora, loco, pontificatu suprascriptis, presentibus ibidem venerabilibus ac nobiles et discretis viris dominis Iohanne Calaber curato de Gompens Villa, Iohanne Pittet curato de Eschallens, Nichodo Panchaul vicario ecclesie parochialis predicti loci Dompni Martini ac Gerardo Iaqueti presbiteris; Guidone de Prez Lustriaci, Petro de Glana de Melduno, Nicodo Ceriex domicellis; Glaudio de Curia et Petro Clement de Melduno cum pluribus aliis testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

[seing manuel] Et quia ego Hugo de Beca, presbiter Morinensis diocesis, imperiali auctoritate notarius publicus, huiusmodi sententie lectioni, promulgationi, confessioni et remissioni omnibusque et singulis aliis premissis, dum sic, ut prescripta sunt, agerentur et fierent unacum supranominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideo presens publicum instrumentum aliena manu fideliter scriptum exinde confeci et in hanc publicam formam redegem signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi et subscripsi in fidem, robur et testimonium omnium et singulorum premisorum requisitus specialiter et rogatus.

a) iudicii *original*.

1439, juin 20

Neuchâtel, cimetière de la collégiale

Ulric de Torrenté, inquisiteur dans les diocèses de Lausanne, Genève et Sion et représentant de Jean de Prangins, évêque de Lausanne, condamne pour idolâtrie l'hérétique Jaquet dou Plain, de la paroisse de Neuchâtel, et le remet au bras séculier pour être exécuté.

AEN, H 7, no. 14 (original sur parchemin; seing manuel du notaire Pierre Janninet de Baume et sceau de l'inquisition, cf. supra n. 87 et fig. 2). Edité de manière fautive par Matile (cit. n. 85), 232–234.

In nomine sancte et individue Trinitatis ac totius curie celestis amen. Quia nos frater Hudricus de Torrente ordinis fratrum Predicatorum, inquisitor heretice pravitatis in civitatibus et dyocesibus Lausannensi, Gebennensi, Sedunensi et nonnullis aliis auctoritate apostolica specialiter deputatus vicariusque in hac parte reverendi in Christo patris et domini domini Iohannis de Prangino, miseratione divina Lausannensis episcopi, per inquisitionem solertem in et super facto heresis factam contra nonnullos notatos et suspectos de dicta heretica pravitate, et presertim per processum per nos factum contra Iaquetum douz Plain parrochie Novicastro Lausannensis dyocesis, accusatum per nonnullos eius complices hereticos de heresi, ydolatria et criminibus pluribus aliis enormibus, contra eum procedimus et nobis ex ipso processu clarissime constat tam per eius legitimam confessionem iudicialiter coram nobis factam quam alias ipsum Iaquetum multa nefandissima, detestabilia et auditu terribilissima commisisse in facto heresis dampnate contra sacrosanctam fidem orthodoxam et nostram sanctam matrem ecclesiam, videlicet Deum, sanctam Trinitatem suamque abnegando paradisi partem, homagium et fidelitatem dyabolo nature humane inimico et adversario nostro faciendo multaque alia detestabilia committendo, que in eius processu latius continentur, que etiam suo ore proprio multiplicatis vicibus recognovit, licet non sponte prima facie quoad omnia nec incontinenti post monitiones iuridicas eidem factas, sed periurium multiplicatis vicibus incurrit.

Eapropter nos prefatus inquisitor et vicarius attentis et sedule consideratis dicti Iaqueti culpis et sceleribus nefandissimis que ipse commisit dampnatissime heresis, «nolentes» quod his qui nequam est, nequior fiat propter eius impugnitatem (*sic*), adiunctis nobiscum ad hec laudabilibus exequenda pluribus notabilibus viris ecclesiasticis et secularibus etiam in iure expertis, de quorum consilio procedimus ad nostram diffinitivam sententiam que sequitur:

+ Christi nomine invocato, a quo omne rectum procedit iudicium, solum Deum pre oculis habentes, non declinantes a dextris neque a sinistris (*sic*),

sed equo libramine procedentes, ut de vultu Dei nostrum procedat iudicium, pro tribunali sedentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam quam in hiis scriptis de iurisperitorum predictorum consilio et assensu fecimus, decernimus et declaramus ipsum Iaquetum douz Plain fore et esse hereticum et ipsum velut hereticum obstinatum et impenitentem condemnamus talemque tanquam hereticum obstinatum et impenitentem brachio secularis potestatis relinquendum fore et relinquimus, rogantes tamen vos secularis curie officarios affectione maiori qua possumus, prout suadent canonice sanctiones, quatenus citra mortem et membrorum mutulationem (*sic*) vestra moderetur sententia circa eundem Iaquetum; declarantes ulterius eadem diffinitiva sententia omnia et singula bona que dictus Iaquetus habet et habuit a tempore dicti commissi criminis, esse et esse debere confiscata atque confiscamus confiscataque publicamus ipsisque bonis in tres partes equales prius divisis declaramusque primam et secundam partes fisco applicandas et confiscatas esse, reliquam tertiam partem officio inquisitionis ad honera ipsius officii supportanda.

Qua sententia lata et lecta, ut prefertur, venerabilis religiosus frater Aymo Ceriati ordinis fratrum Predicatorum, procurator fidei, et Matheus de Cottens domicellus, officarius et maior de Novocastro, petierunt predictam sententiam redigi in scriptis et fieri litteras testimoniales et iudiciales quibus et cuilibet intererit, concessimus et concedimus has presentes per notarium auctoritate imperiali publicum et curie domini officialis Lausannensis iuratum scribamque nostrum subscriptum sub sigillo inquisitionis in testimonium omnium et singulorum premissorum.

Datum et actum in Novocastro Lausannensis dyocesis supra cimisterium Beate Marie Virginis dicti loci Novicastro inhihi hora prime ad iura reddenda sedentes pro tribunali sub anno a nativitate Domini millesimo quatercentesimo trigesimo nono, indictione secunda, et die sabbati vicesima mensis iunii, presentibus ibidem nobilibus et potentibus dominis Iohanne comite de Albel domino de Vaulongin, Iohanne de Novocastro domino de Vaulmercuel, Iohanne de Collomberio, militibus; Ludovico de Staviaco condomino dicti loci, Aymone de Staviaco, Otthone de Claron, Iaqueto de Dyesy, Iaqueto de Vaulmercuel, Hurialetto Arlet, Iaqueto de Montagniac, Iohanne de Tretorens, domicellis; Petro Gruery, Petro de Gradibus, Guillelmo Escornaz, clericis et notariis; dominis Stephano Borrellerii, Iohanne Berchinet, Petro Caudasini canonicis Novicastro, domino Iohanne de Petra curato de Unnens et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiterque rogatis.

[*seing manuel*] Ego vero Petrus Ianninetti de Balmis, Grandissoni commorans, Lausannensis dyocesis clericus, auctoritate imperiali notarius publicus curieque domini officialis Lausannensis iuratus ac scribe predictus, qui in premissis omnibus, dum sic fierent et agerentur, unacum prenomatis testibus presens fui eaque sic fieri vidi et audivi deque eis presens publicum instrumentum manu mea scriptum recepi et in hanc publicam formam redegisti signoque meo cum appensione dicti sigilli inquisitionis signavi, in robur et testimonium omnium premissorum requisitus et rogatus.

1439, juin 20

Neuchâtel, cimetière de la collégiale

Ulric de Torrenté, inquisiteur dans les diocèses de Lausanne, Genève et Sion et représentant de Jean de Prangins, évêque de Lausanne, condamne pour homicide et cannibalisme l'hérésiarque Enchimandus le Masseller de Neuchâtel et le remet au bras séculier pour être exécuté.

AEN, Q, no. 30 (original sur parchemin; seing manuel du notaire Pierre Janninet de Baume et sceau de l'inquisition, cf. supra n. 87 et fig. 1).

In nomine sancte et individue Trinitatis totiusque curie celestis amen. Quia nos frater Hudricus de Torrente ordinis fratrum Predicatorum, inquisitor heretice pravitate in civitatibus et dyocesibus Lausannensi, Gebennensi, Sedunensi et nonnullis aliis auctoritate apostolica specialiter deputatus vicariusque in hac parte reverendi in Christo patris et domini domini Iohannis de Prangino, Dei gratia Lausannensis episcopi, per inquisitionem solertem in et super facto heresis factam contra nonnullos suspectos et notatos de dicta heretica pravitate, et presertim per processum per nos factum contra Enchimandum le Masseller de Novocastro Lausannensis dyocesis, accusatum per nonnullos eius complices hereticos de heresi, homicidio, comestione carnis humane et criminibus pluribus aliis innormibus (*sic*) contra eundem Enchimandum, comperimus et nobis ex ipso processu clarissime constat tam per legitimam eius confessionem iudicialiter coram nobis factam quam alias dictum Enchimandum multa nephandissima, detestabilia et auditu terribilissima commississe in facto heresis dampnate contra sacrosanctam fidem orthodoxam et nostram sanctam matrem ecclesiam, videlicet Deum, sanctam Trinitatem, totam curiam celestem suamque abnegando paradisi partem, homagium et fidelitatem dyabolo nature humane inimico nostro et adversario faciendo, lupino more humanam carnem etiam priorum liberorum commedendo, grandines dyabolica invocatione procurando multaque alia detestabilia committendo, que in eius processu latius continentur, que etiam suo ore proprio multiplicatis vicibus recognovit, licet non sponte prima facie nec incontinenti post monitiones iuridicas eidem factas, sed periurium multiplicatis vicibus incurrit.

Eapropter nos prefatus inquisitor et vicarius attentis et sedule consideratis dicti Enchimandi culpis et sceleribus nefandissimis, que ipse commisit dampnatissime heresis, nolentes quod his qui nequam est, nequior fiat propter eius impugnitatem (*sic*), adiunctis nobiscum ad hec laudabilius exequenda pluribus notabilibus viris ecclesiasticis et secularibus etiam in iure expertis, de quorum consilio procedimus ad nostram diffinitivam sententiam que sequitur:

+ Christi nomine invocato, a quo omne rectum procedit iudicium, solum Deum pre oculis habentes, non declinantes a dextris neque a sinistris (*sic*), sed equo libramine procedentes, ut de vultu Dei nostrum procedat iudicium, pro tribunali sedentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam quam in hiis scriptis de iurisperitorum predictorum consilio et assensu fecimus, decernimus, pronuntiamus et declaramus ipsum Enchimandum le Masaller fore et esse hereticum et heresiarcam, ipsum velut hereticum et heresiarcam obstinatum et impenitentem condempnamus talemque tanquam hereticum et heresiarcam obstinatum et impenitentem brachio secularis potestatis relinquendum fore et relinquimus, rogantes tamen vos secularis curie officarios affectione maiori qua possumus, prout suadent canonice sanctiones, quatenus citra mortem et membrorum mutulationem (*sic*) vestra moderetur sententia circa eundem; declarantes ulterius eadem diffinitiva sententia omnia et singula bona que dictus Enchimandus habet et habuit a tempore dicti commissi criminis esse et esse debere confiscata atque confiscamus confiscataque publicamus ipsisque bonis in tres partes equales prius divisas declaramusque primam et secundam partes fisco applicandas et confiscatas esse, reliquam tertiam partem officio inquisitionis ad onera ipsius officii supportanda.

Qua sententia lata et lecta ut prefertur, venerabilis religiosus frater Aymo Ceriati ordinis fratrum Predicatorum, procurator fidei, et Matheus de Cottens domicellus, officarius et maior de Novocastro predicto, petierunt dictam sententiam redigi in scriptis et fieri litteras testimoniales et iudiciales quibus et cuilibet intererit, concessimus et concedimus has presentes per notarium auctoritate imperiali publicum et curie domini officialis Lausannensis iuratum scribamque nostrum subscriptum sub sigillo inquisitionis in testimonium omnium et singulorum premissorum.

Datum et actum in Novocastro Lausannensis dyocesis supra cimisterium Beate Marie Virginis dicti loci Novicastro inhihi hora prime ad iura reddenda sedentes pro tribunali sub anno a nativitate Domini millesimo quatercentesimo trigesimo nono, indictione secunda, et die sabbati vicesima mensis iunii, presentibus ibidem nobilibus et potentibus dominis Iohanne comite de Albel domino de Vaulongin, Iohanne de Novocastro domino de Vaulmercuel, Iohanne de Collomberio, militibus; Ludovico de Staviaco condomino dicti loci, Aymone de Staviaco, Otthone de Claron, Iaqueto de Dyesy, Iaqueto de Vaulmercuel, Hurrialeto Arlet, Iaqueto de Montagniac, Iohanne de Tretorens, domicellis; Petro Gruerye, Petro de Gradibus, Guillelmo Escona, clericis et notariis; dominis Stephano Borrellerii, Iohanne Berchinet, Petro Caudaassini canonicis Novicastro, domino Iohanne de Petra curato de Unnens, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

[*seing manuel*] Ego vero Petrus Iannineti de Balmis, Grandissoni commorans, Lausannensis dyocesis clericus, auctoritate imperiali notarius publicus curieque domini officialis Lausannensis iuratus ac scriba predictus, qui in premissis omnibus, dum sic fierent et agerentur, unacum prenominate testibus presens fui eaque sic fieri vidi et audivi deque eis presens publicum

instrumentum manu mea scriptum recepi et in hanc publicam formam redegī signoque meo cum appensione dicti sigilli inquisitionis signavi, in robur et testimonium omnium premissorum requisitus et rogatus.

5

1440 mai 4

Lausanne

Le pape Félix V concède à Ulric de Torrenté, qui avait été nommé par le pape Martin V inquisiteur dans les diocèses de Besançon, Lausanne, Genève, Sion, Metz, Verdun et Toul et a exercé son office pendant 19 ans, la faculté de posséder en commende un bénéfice ecclésiastique séculier, pour l'aider à supporter le poids de sa charge.

AST, Corte, Bullaire de Félix V, t. 4, fol. 76r/v (notaire: Iohannes Benenati).

Felix, electus^a etc., venerabili fratri episcopo Gebennensi salutem etc. Personas nobis et apostolice sedi devotas, illas presertim que evangelice doctrina veritatis et meritis virtutum clarentes atque sub religionis observantia virtutum Domino famulantes pro firmanda fide christiane religionis pestiferas heresum pravitates de medio fidelium extirpare dietim insudant, pia benivolentia prosequimur eisque, prout decens est, congruo favore adiuvari dignum recensemus, ut in suscepta ab eadem sede munificentia studeant ipsam amplioris devotionis revereri, quo amplius se noverint illius auxiliis relevari. Sane petitio pro parte dilecti filii Hudrici de Torrente, ordinis fratrum Predicatorum professoris, nobis nuper exhibita continebat, quod licet olim felicis recordationis Martinus papa V, predecessor noster, cupiens heresum pravitatem de medio christianorum propelli, dictum Hudricum in Bisuntinensi, Lausanensi, Gebennensi, Sedunensi, Metensi, Viridunensi et Tullensi civitatibus et diocesibus inquisitorem huiusmodi pravitatis quoad viveret, deputasset ipseque Hudricus sibi iniunctum inquisitionis huiusmodi officium decem et novem annorum spatio non sine gravibus laboribus et expensis cum vigilantia ac sollicitudine possibilibus exercuerit prout continue exerceret, nullum tamen a dicta sede hucusque retributionis premium seu provisionis alicuius consecutus est auxilium. Quare pro parte dicti Hudrici nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad supportandum onera que ipsum in huiusmodi officio continue subire oportet, sibi de alicuius^b subventionis^c auxilio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque de persona dicti Hudrici plurimum confidentes ac deputationem dicti Martini pape confirmantes et innovantes ipsius quoque Hudrici honestis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Hudrico vel unum vel plura beneficia

ecclesiastica secularia cum cura vel sine cura usque ad certum valorem annuum, si sibi alias canonice conferantur, in commendam recipere vel quoad vixerit ad certum tempus, de quibus et prout tue quam super hoc duximus onerandam conscientie videbatur, ita quod debitis supportatis oneribus de residuis fructibus, redditibus^d, proventibus, iuribus et obventionibus beneficii seu beneficiorum huiusmodi sicut illi, qui illud vel illa in titulum pro tempore obtinuerunt, potuerunt seu etiam debuerunt disponere et ordinare libere et licite valeat, alienatione tamen immobilium et pretiosorum mobilium bonorum beneficii seu beneficiorum huiusmodi penitus interdicta, eidem Hudrico auctoritate nostra concedis, non obstantibus tam apostolicis quam provincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus necnon statutis et consuetudinibus dicti ordinis etiam iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscumque. Nec mireris quod bulla exprimens nomen nostrum non est appensa presentibus, nam hii qui fuerunt hactenus in Romanos electi pontifices, ante sue consecrationis et coronationis solemniam modum hunc observare consueverunt.

Datum Lausanne quarto nonis maii anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragésimo, suscepti a nobis apostolatus officii anno primo.

*a) corrigé sur episcopus b) ajouté marge gauche c) suivi de auxl biffé
d) ajouté marge droite.*